

ret, ignorabat eum, quem in libro nesciens venerabatur. Venit Philippus, ostendit ei Jesum, qui clausus latebat in littera. O mira doctoris virtus! Eadem hora credit Eunuchus, baptizatur, et fidelis, et sanctus factus est, ac de discipulo magister, plus in deserto fonte Ecclesiae, quam in aurato synagogae templo reperit. Haec a me breviter perstricta sunt, neque enim epistolaris angustia evagari longius patiebatur, ut intelligeres, te in scripturis sanctis, sine praevio et monstrante, semitam non posse ingredi.

5. Taceo de Grammaticis, Rhetoricis, Geometris, Dialecticis, Musicis, Astronomis, Astrologis, Medicis, quorum scientia mortalibus vel utilissima est, et in tres partes scinditur: τὸ δόγμα, τὴν μέθοδον, τὴν ἐμπειρίαν. Ad minores artes veniam, et quae non tam lingua, quam manu administrantur. Agricolae, caementarii, fabri metallorum, lignorumue caesores, lanarii quoque et fullones, et caeteri, qui variam supellectilem et vilia opuscula fabricantur, absque doctore non possunt esse, quod cupiunt. Quod medicorum est, promittunt medici; tractant fabrilia fabri. Sola scripturarum ars est, quam sibi omnes passim vindiunt. Scribimus indocti doctique poemata passim. Hanc garrulus anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi praesumunt, lacerant, docent antequam discant. Alii adducto supercilio, grandia verba trutinantes, inter mulierculas de sacris litteris philosophantur. Alii discunt, proh dolor! a foeminis, quod viros doceant; et ne parum hoc sit, quadam facilitate verborum, immo audacia edisserunt aliis, quod ipsi non intelligunt. Taceo de mei similibus, qui si forte se scripturas sanctas, post saeculares litteras venerint, et sermone composito aurem populi mulserint, quidquid dixerint, hoc legem Dei putant, nec scire dignantur, quid Prophetarum, quid Apostolorum senserint, sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia, quasi grande sit, et non vitiosissimum docendi genus, depravare sententias, et ad